IOANNIS IACOBI ORGEATII. I.C. GALLI,

IN OBITV IOAN. FRANCISCI TERZANII CREMONÆ FERRARIENSIS.

ORATIO.



FERRARIÆ,

Excudebat Victorius Baldinus. 1593.

De licentia Superiorum.

AD ILLVST. ET EXCELL.
PRINCIPEM
ALEXANDRVM
ESTENSEM,

Patronum ſuum maximopere colendum

DE IOANNIS FRANCISCI TERZANII LAVDIBVS,

Ioannis Iacobi Orgeatij Galli.

EPIGRAMMA.

Terzani laudes ſcripſi Illuſtriſsime Princeps
Qui patrię, & cunctis ferre ſolebat opem.
Æternumq; qui eſt decus, ac memorabile noſtri,
Atque Minerua dedit munera magna ſibi.
Gentes mirantur dum luſtrant ſingula: verum
Nil mage mirum eſt, quàm quod ſua virtus habet.
Hoc memorant viuo terris fugiſſe nefandos
Mores, inuidiam, facta ſuperba virum.
Hunc cuncti venerando virum veneremur amicum,
Supplicibus votis, vocibus atque pijs.
Optatus fruitur tandem cœleſtibus auris
Mens tulit omnipotens, reddidit atque polo.

ILLVSTRISSIMO,

ET EXCELLENTISSIMO

PRINCIPI,

ALEXANDRO

ESTENSI,

Patrono ſuo maximopere Colendo,

IOANNES IACOBVS ORGEATIVS

S. P. D.

NEminem latere arbitor Illuſtriſs. Princeps religioſos quondam agriculas ſuorum frugum primitias immortali Deo dicare conſueuiſſe, eruditosq́ ſcriptores elucubrata eorum opera, quæ in quorundam laudem,& dignitatem ſcripſerũt principibus, quos venerantur ſcribere, ac dono dare. Quorum ego exempla ſecutus te unum ex omnibus potiſſimum delegi, cui Ioannis Franciſci Terzanij Sereniſſimi Principis Alfonſi Ferrariæ Ducis tui patruelis Oratoris laudes orationem complectenté dedicarem,ac penitus conſecrarem. Ego enim te præ omnibus Italiæ principibus literarum, litteratorumque ſtudioſiſſimum, atque amantiſſimum cognouite ſummo ingenio,ſummaque prudentia præditum, ac ſingularibus, & Hœroicis animi dotibus ornatiſſimum ſum admiratione proſecutus, tuamque hac in Iuuenili ætate Neſtoream ſapientiam ſuſpexi, Iampridem colui, & adamaui, quæ cum omnibus perſpecta, & cognita ſit, mirandum non eſt, ſi tuę ſingulares Egregięque virtutes in dies magis, magiſque eluceſcant, cum omnibus Ferrarien

ſibus, qui ſunt omnes tui, tam facilis, tam comis, tam denique vrbanus, ſemper adſis, vt omnes te certatim ita ament, & ad modum venerentur, ut tu ſine illis, & illi ſine te viuere non poſſint, & omnes ferè totius Europæ Principes, ne dum Italiæ, apud quos non modicæ ſunt tibi affinitates, incredibili beneuolentia proſequantur, de te honorificentiſſimè loquantur, & ſentiant, & quidem certè omnia, quæ maximo Principi ſunt exoptanda tibi non deeſſe dubitat nemo. Percupient cæteri Principes veſtigia tua ſequi, ſed pauciſſimos conſecuturos non dubitamus. At hæc Hactenus, ne ineptus eſſe videar, qui eximias tuas virtutes tam ſtrictim memorando magis obſcurare, quàm illuſtrare iudicer, nec epiſtolarum character me diffuſius vagari permittit. Accipe igitur læta fronte, hilarique vultu hanc orationem ab Orgeatio tuo mox in lucem ſub tuo nomine editam. Et licet fortaſſe quidam rem leuiculam eſſe putent, nec ego inficior, eam tamen ſic eſſe confido, vt æquo Iudici diſplicere non poſſit. Sed quicquid ſit Deus optimus Maximus faciat, vt monimentum tuæ erga meæ obſeruantiæ ſempiternum exiſtat. Bene Vale Ateſtinorum Principum Decus, & tuum Orgeatium in tuorum numero retine, ſemperque commendatum habe.

Datum Ferrariæ 25. Nouembris anno à Virginis Partu ſeſquimilleſimo Supra nonageſimum tertium.

I N

IN FVNERE IOANNIS FRANCISCI

TERZANII CREMONÆ FERRARIENSIS,

IOANNIS IACOBIS ORGEATII Iur. Con. Galli,

ORATIO.

QVAMQVAM *fortaſſe non deſunt, qui non mediocriter admirantur, me hunc in locum pulla veſte inductum aſcendiſſe, atque impudentiæ redarguendum exiſtimant, qui Ioannis Franciſci Terzanij Cremonæ Ampliſſimi viri, qui iam è vita ceſſit, laudandi prouinciam ſuſceperim, cùm illi defunctos laudibus ornare debeant, qui cum his familiariter vixerunt, ac eorum omnes actiones probè norunt. Quamuis enim luctus, & dolor orationem*

in-

interrumpunt, nec eam continuari ſinunt, rerum tamen geſtarum cognitio multò aptior ad veritatem promulgandum eſſe videtur, ita tamen me huius elegantiſſimi viri eximia virtus effecit, quæ complures bonis ingenuisq́; artibus deditos ad dicendum, ſcribendumq́; aliquid excitare poteſt, vt me continere non potuerim, quin audacter hunc in locum aſcenderim, proq́ue mea virili parte ſignificarim, quantus huic egregio, præſtantique viro debeatur honos. Vos viri celeberrimi, cæteriq́ue Auditores ornatiſſimi, ad ea quę dicam libenter animos aduertite, quod vos non inuitos facturos ſpem habeo, cùm quod omnia ne ſim moleſtus ſic coarctabo, vt quæ fusè, lateq́ue dicenda forent, paucis concludantur, tum quòd loci ratio, perſonæquę deploratur dignitas, veſtra quoque benignitas, etiam atque etiam ſine dubitatione vos ad audiendum hortabuntur. Et licet ego Gallus eo non ſim ingenio, eaq́; dicendi facundia, quam veſtri iuditij acrimonia, & loquendi argumentum poſtulat, tamen vel ſi vires deficiant benignè, & peramanter ter ipſam meam volutatem metiri debetis. Ore igitur rotundo loquar, audite quæſo. Tanti ſunt luctus, tantiq́ue dolores quos tota hęc ciuitas ex Ioannis Franciſci Terzanij obitu percipit, vt arbores, & parietes, nedum homines, certè quidem illum lachrimari non deſinant, viri, mulieres, pueri, infantes, omnes ſumma ſuſpiria ad ſidera tollunt, ingentesque ſingultus edunt, quòd illum virum perdiderunt, ex cuius incredibili doctrina, admirabilique

biliq́ue dicendi facultate tota Europa nedum Italia, & hæc vrbs vberiores, atque præſtantiores fructus percæpit. Atque huius doloris, & moleſtiæ magnitudo admirabiles profectò, atque præſtantes habet cauſas. Non enim tantùm dolemus, quòd illum, Iur. Con. & oratorem non habemus, ſed quia illum amiſimus, quem maximo animi ſtudio ſemper optauimus, quem pijs votis, & orationibus à Deo optimo Maximo precati obtinuimus, quem ſummis virtutibus, & omni genere laudis præſtantiſſimum fuiſſe non ignoramus. Si enim patriam quærimus, Ferrariam habemus vrbem totius Europæ clariſſimam, & optimarum artum ſtudijs, omniumq́ue fortunæ bonis, rebusq́ue diuinis Georgij, atque Maurelij Meſapotamię regis Epiſcopi ſanctorum martirum oſſibus decoratam, à Ferrato Troiani Antenoris ſocio conditam, à Sereniſsimis Ateſtinis principibus amplificatam, permultis viris illuſtribus rei militaris ſcientiſſimis, variarumq́ue ſcientiarum præditis refertam, & honeſtam. Si familiam Gens Terzana antiquiſsima ex præſtantiſsima vrbe Cremona iam orta, quæ inter nobiles familias (vt omnibus eſt in confeſſo) non inferiorem locum tenet, ſe ſe offert. Etenim, & complures viros grauiſsimos, & admodum excellentes, qui litterarum gloria floruerunt, & qui ſingulis ætatibus Ferrarienſem Rempublicam admirabili fide, & prudentia ſub Ateſtinorum principum Imperio, & potiſsimùm ſub Alfonſo Eſtenſi Sereniſsimo Ferrariæ duce paucis ab hinc

annis

annis præteream Alfonſus Terzanius Cremonæ frater eius quem deploramus, atque lugemus, vir admodum doctus, diuini humanique iuris valde peritus, de politioribus litteris, & Reipublicæ adminiſtratione optimè meritus, probis hominibus carus, noſtroquè Sereniſsimo Principi ſatis acceptus, qui Lugi alijsque eius in oppidis ita ſyncerè, atque integrè iuſtitiam oppidanis adminiſtrabat, & cauſas eorum ſic contingenter, & facilè dirimebat, cunctosque populos ſic pacatè, quietè, tranquileque regebat, vt omnes admirarentur, & obſtupeſcerent. Sed nulla mehercule dicendi vis, nullum ingenij flumen, nullum orationis genus, quod innumerabilia Ioannis Franciſci Terzanij erga diuerſarum nationum diſcipulos merita pro dignitate ſatis exornare poſsit. Domi enim ſuæ freqnentem Olympicorum Academiam omni ſcientiarum genere refectam, vbi variæ lectiones docebantur, puncta, quæ ijs, qui doctoratus inſignia expcſtulant recitabantur, magnæ, & admodum famoſæ iuris Cæſarei, & pontificij quæſtiones ennodabantur, continuò aperuit. O pulcherrimam, & fructuoſiſsimam tanti viri Academiam. Hæc Academicos ex belluæ homines fecit. Hæc totius terrarum orbis Iuuenes varijs doctrinis erudiuit. Hæc eloquentia, quæ eſt copioſe loquens ſapientia exornauit. Hæc eoſdem bonis probatiſsimisque moribus informauit. In ea nihil turpitudinis exiſtebat. Ex ea ocium parens omnium vitiorum eijciebatur. Academici in litteris toti conquieſcebant, & in ſcientia

tia

tia de moribus, quę tota Iuriſconſultorum eſt dies, noctesq́; vigilabant. Quid enim humano generi utilius accidere poteſt, quàm ſe metipſum rectè gubernare, & ſecundum virtutem ita operari, ut ſuis tandem præclaris actionibus ad felicitatem, quæ ultimus finis hominis eſt peruenire valeat? Quid præſtantius quàm Ciuitates regere, & ſecundum Romanorum leges, ſuaque iura municipalia, ac inſtituta conſeruare; quæ omnia pars illa philoſophiæ docet, quam politicam Græci vocant? Quid denique fructuoſius quàm familiam rectè curare, filios bonis moribus, bonisq́; artibus ut maiorum ſuorum veſtigia ſequantur, inſtruere, ut totius familiæ decus, & ornamentum euadant? Quæ pars huius ſcientiæ eſt quam Cremona ſua in Academia diligenter non excuſſerit? Quod opus Platonis, Ariſtotelis, & aliorum philoſophorum in lucem editum, quod maxima cum diligentia non peruolutarit, & accuratè perpenderit? ex quo illa ſapienter non ellegerit, quæ ſibi meliora, & veritati magis conformia videbantur? In libris enim, quos de philoſophia Ariſtoteles illuminatè, & eleganter compoſuit, quantos in his progreſſus fecit, & ut alia quæ philoſophorum more diſputari ſolent omittam, quis melius ea quæ ad vitam, & mores pertinent diſceptauit? Quis grauius ijs qui ſibi ſuæquè tantùm familiæ viuunt, conſuluit? Quis plenius ea intellexit, quæ Rempublicam capeſcentes, atque adminiſtrantes debent obſeruare, & in oculis ferre? Quis acrius vi-

ia cum neceſſitas poſtulauit, inſectatus? Quis virtutem omnibus colendam melius perſuaſit? Nihil officij eſt, nihil decori, quod Cremona non explicatè, & diſtributè, & ornatè docuerit, eo conſilio, vt ſemper in commune conſuleret, & omnes vitiorum fibras, quibus hominum animi ſolent corrumpi euelleret? Quàm felix Chriſtiana Reſpublica extitiſſet, ſi philoſophiæ præcepta ex vberrimo fonte hauſta, quæ ſua in Academia dedit non contempſiſſet? Nihil ſeditionis in Gallia ortum fuiſſet, quæ eam paulatim hoc turbolentiſſimo, & bellicoſiſſimo tempore labefactauit, nemo ſuis commodis, & emolumentis metiri voluiſſet, nemo pro patria tuenda periculum vitæ præſenti animo non ſubijſſet. Res in deteriorem partem commutata non eſſet. verùm in dies magis, atque magis aucta fuiſſet. Prouinciæ quæ à diuerſis principibus uxurpatæ ab illis quotidie cupiditate regnandi vexatæ non eſſent. Sed quò progredior? non poſſum non intimis ſenſibus angi, dum miſerias, & calamitates in memoriam reduco, quibus omnis Tranſalpina Gallia iam Mundi domina, omniumq; aliarum Chriſtianiſſima profligatis perditisq; hominum moribus afflicta eſt, quæ nullo profectò modo contingere potuiſſent, ſi ea, quæ de Reipublicæ adminiſtratione Cremona diſcipulis ſuis tradere ſolebat, Galli diligenter tenuiſſent, Gallia ſemper opibus firma, copijs locuples, gloria ampla, virtute honeſtata fuiſſet, præſertim cùm non ſolùm verbis, ſed etiam re ipſa ciuēs omnes ſenes, & iuuenes ad

patiriam

patriam fortiter, ſtrenueq́; defendendam excitare, atque inflammare ſolitus eſſet. Sed nolo ſingulas Ioannis Cremonæ actiones commemorare. Per campum enim longè lateq́; patentem vagari oporteret, & ea, quæ à Gręcis latinisq́; auctoribus memoriæ prodita, & omnium ſermone trita ſunt, pronuntiarem. Non enim de vita illius verba facere decreui, ſed potius de ſingulari doctrina. Itaque vt ad reliqua progrediar, putandum eſt, in iure ciuili cuius per tres, & triginta annos lecturam ordinariam matutino tempore primam eruditiſsimè, atq; elegantiſsimè magna comitante diſcipulorum copia exercuit, non paruam laudem promereri qui ſe virum vndequaque eruditum præſtitit adeo gratum, adeóque cunctis Sanctarum legum non ignaris acceptum, & vt ab his legum princeps, & monarcha appellari meruerit, cuius auctoritas ita priores partes apud oẽs habebat, vt illius opinio pro firma, certaq́; lege haberetur, vir quidem perſpicacis ingenij, & inter iurisconſultos longè celeberrimus, quiq́ue meritò iuris Aſylum, & iuris prudentię theſaurus dici poteſt. Quod cum probè norint uiri Illuſtriſsimi Alfonſus Thaſonus Eſtenſis duodecim ſapientum Iudex, & Antonius Montecatinus Conſiliarius totius ſtatus Sereniſsimi ducis præſtantiſsimi Ferrarię Academicę Reformatores altera, & ſecunda pandectarum lectione illum decorarunt, quam quanta verborum copia, quantaq́; doctrina, & grauitate ſententiarum, quamq́; concinnè, & eleganter exponebat vix ver-

bis exprimere poſſem, hinc factum fuit, vt iure, & meritò in duodecim virorum ſapientium huius Almę vrbis numerum fuerit cooptatus, in quo celeberrimo conuentu talem collegis ſe pręſtitit virum, qui tantundem ſplendoris huic addat dignitati ad quam illorum ſuffragijs euectus eſt, quantùm ipſa ab illo decoris, & ornamenti accepit. Terzanius enim non tantùm amplitudine ipſa (quamuis maxima) magnus exiſtit, ſed pietate, iuſtitia, religione, animi integritate, & alijs magnificis ſuis virtutibus, quibus virorum priſcorum gloriam penè ſuperauit, & ſemper ſe patrię amatorem, & pauperum, viduarum pupillorum acerrimum defenſorem oſtendit. Sed conuertamus ad ea ſermonem, in quibus totam fermè ætatem conſumpſit, quis in eloquentia hac noſtra ætate poterat cùm Terzanio conferri? Quis in illius orationibus verborum granditatem, ſplendorem, & maieſtatem non admiretur? Quis eſt, qui non putet grauiſsimas ſententias, acutas, & crebras ex abdito erutas, non è medio ſumptas, diuinitus, & non humanitus excogitatas? Quis Terzanij orationum numeros non laudet? Quis artificioſam concluſionem non commendet? Quò vult auditores rapit, iure ſuo flectit, cadentem erigit, erectum proſternit, modò triſtem, modò hilarem reddit, nunc commotam ſeditionem ſedat, nunc animos ad furorem concitat, opiniones modò inſerit, modò euellit, ita liberè fluit, vt nunquam adhereſcat. Iactent Alij alios ſuos oratores, nihil illis, ſolo nos Terzanio contenti,

ti, nihil inuidebamus. Si enim dicendi copiam, ſi amplificationem, ſine qua eloquentia nulla eſt, ſi colores, ſi pigmenta, cęteraq́; orationis ornamenta, perquirimus, nemo eſt qui Terzanio præſtare poſsit. Quis facilius in animos irrepit? Quis maiori dicendi artificio coetus hominum tenet? Quis verborum lepores concinnius alligat, & aurium voluptati oratio morigerari poſsit? Quid igitur mirum ſi Sereniſsimus Alfonſus Eſtenſis Ferrariæ dux illum oratorem elegit, honeſtoq́; ſtipendio decorauit? Illum enim ita prudentiſsimum, doctiſsimum Rectorem, & oratorem agnouit, vt nihil ferè ſit ab eo tacitum relictum, quod Oratorem in omni cauſarum genere ſe exercentem verè deceat, quam antea dignitatem neminem obtinuiſſe manifeſtum euadit? Cùm etiam mecum conſidero, animoq́; perpendo oratoria pręcepta, quæ Terzanius abundè, affatimq́; ſuis in orationibus obſeruat, & quę ad illuſtrandam dicendi artem pertinent video vnumquenque ſermonis concinnitatem, & artifficioſam loquendi varietatem ſibi comparare poſſe, & quę ſit inſignis, florens, picta, & expolita oratio facilè intelligere. Teſtis eſt Sixtus Quintus, quem cum Sereniſsimus Alfonſus diuinitus Pontificem maximum fuiſſe creatum accepit, pręterquam quòd fuit maxima lętitia affectus voluit etiam vetus inſtitutū, ac per tot annos nō ſine numine confirmatum obſeruare, & primo quoque tempore (vt Chriſtianum principem decet) legatum Illuſtriſsimum, & Excellentiſsimum Cęſa-

rem

rem Eſtenſem Seniſsimi Ducis Patruelem, ſibiq́; acceptiſſimum, & cum eo Terzanium mittere, qui ipſius nomine eius pedes obſcularetur, ſibi de pontificatu gratularetur, ipſumq́ue ſuæ pontificiæ poteſtati ex animo ſubiectum nunciaret. Quę omnia cum Terzanius ſuaui elegantiq́ue oratione expoſuiſſet ipſum equitatus dignitate exornauit. Teſtis eſt Gregorius decimus quartus, qui cum nomine Sereniſſimi ſimilem orationem doctè, & eleganter editam audiret, optimum oratorem, virumq́ue facundiſſimum; cui multùm debent litterarum, & eloquentię magiſtri, illùm annua, & honeſta ponſione non ſine magna laude remunerauit, aliјsq́ue muneribus honeſtauit. Teſtis venetiarum celeberrima vrbs ex cuius ſuauiſſima, eruditiſſima, & ad modùm elegantiſſima oratione, quam nomine Sereniſſimi Alfonſi ad principem eius Sereniſsimum ſalutandum incredibilem voluptatem eius Clariſsimi Senatores perceperunt, illùmq́ue diuinis laudibus ornarunt. Teſtes ſunt Olympici Academici, quorum quadrigentos ſua ſingolari doctrina, ſanctiſsimarumq́; legum ſcientia doctoratus inſignibus honeſtauit, ſuorumq́; laudes ad ſidera conduxit. Teſtes & omnes Ferrarienſes, qui duas elegantiſsimas orationes diuerſorum principum ab eo habitas auribus percæperunt, quarum altera in Epiſcopali eccleſia habita Caterinæ Medices vxoris Henrici Valesij ſecundi Francorum Regis, laudem & admirabiles, & heroicas virtutes in eius luctuſiſsimo obitu complectebatur, Altera verò in ſacroſancto prin-

cipis

ipis Sacello Guhelmi Gonzagæ Sereniſsimi Mantuę duis, & Marchionis Montisferrati verè principis inuictiſſimi famam, mirabileq; nomen continebat. Hic fuit alter Ariſtides cognomine iuſtus. Hic pietatis obſeruandiſsimus. Hic templorum curam ſuſcipiebat, multaq; alia veræ pietatis opera conficiebat. Teſtes denique iterum, & ſæpius ſtudij huius Reformatores. qui poſtquam illius celeberrimam ædem Ab Illuſtriſs. & Eccellentiſs. Principes Aloyſio Eſtenſi Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinali Ampliſsimo, & nunquē ſatis laudato mercati fuerunt, eam confeſtim inſtaurarunt, marmoreis lapidibus foris, & intus varijs picturis, & vitruuianis præceptis redificarūt, & Terzanio ob tanta illius in Ferrarienſem Rempublicam merita, tanquā præcipuum Academiæ Caput ad habitandum conceſſerunt. Quod quidem tectum ita pulcrum, ita ſuaue, ita graue, & ſplendidum, & omni heroica dignitate ornatum, vt nihil præterea ſit requirendum, Nam, etſi doctiſsimi, & nobiliſsimi Bononienſes exiſtimant nullam eſſe ingenij uberitatem, nullamq; tantam dicendi copiam, nullum diuinum, atque incredibile orationis genus, quo quisquam poſsit tantum opus tam præclarum, tam amplum, tam auguſtum in tam celebri loco extructum, tot, tantorumq; virorum conſilio ſuſceptum, tot egregiorum artificum manibus elaboratum, induſtria perfectum, incredibile celeritate ad ſummum perductū, illorum gymnaſium, Tamen hæc omnia Ferrarienſe Gymnaſium, tenet, & vltra

tra

tra poſsidet auditorium anatomicæ arti perpetuò dicatum, viridarium vbi ſimplicia plurima ſerta ſunt, & medicæ arti non mediocriter neceſſaria. À ſiniſtra manu pars domi eſt in qua ſcena erigitur vbi pœmata Tragędię Comędiæ, & ſatyræ ad exercendam iuuentutem, & ad populi Ferrarienſis delectationem recitantur, qua in parte eſt oſtiolum quo mortuorum cadauera ad oſtenſionem Anatomes conficiendam intromittuntur. À dextera verò eſt pręclariſſimus & admodum ſpecioſus ludus follis, quem pilam magnam vocant in quo omnis populus ſe exercere ſolet. aliæ ſunt multæ laudes quas aliud in tempus differre ſtatuo ne Terzanij amplitudinem, & dignitatem, quem laudandum ſuſcepimus prætermittamus. Paſſum tamen eſt hoc Gymnaſium maximam ab hinc octo annis quibus in eo policiores litteras ſum profeſſus ſuorum profeſſorum iacturam, quorum primus fuit Hieronymus Benintendus, obijt etiam illo non inferior Iulius Bonus, ſacræ Theologiæ ſacrarum legum, Medicinę ac Philoſophiæ celeberrimus doctor, & religioſus admodum ſacerdos. Sed quid tam longiora commemoro, non ne tertio ab hinc anno duos excellentiſsimos Medicinæ, & phyloſophiæ profeſſores tanquam duo flumina belli Panſam ſuę Altitudinis Prothomedicũ ſimpliciũq; herbarũ profeſſorem eruditiſsimum, & Franciſcũ Mariã Parolinum magnum Medicinæ & artis anatomicæ profeſſorem non indiſertum doctrina tanta denique cęteros anteibat, vt omnes admirarentur, & ſtupeſcerunt animam

egiſſe

egiſſe non ignoramus. Sed hęc nihil. Hunc annum verè luctuoſum ter. quaterque lacrimabilem vocare poſſumus, quo Cataneum, & Pium Aeneam Caprilem præcedentibus ſimiles nec inferiores medicinę profeſſores perdidimus. Erãt equidem optimi naturales philoſophi, & medicæ artis interpretes non indiſerti: Non tamen Iuriſconſulti, non tamen oratores, non tamen Olympicorum Academicorum Auctores, qualis fuit ille noſter Cremona cuius acerbiſsima mors tot incommoda, tantamq; iacturam nobis tribuit, vt ſupra nihil poſsit. Pietate enim cęteros anteibat, nullus ab eo lędebatur propinquus, nullus ab eo prodebatur amicus, laudes eius omnes in aſtra tollebant. Hic diuino numine Deum colebat, Sanctos piè & caſtè venerabatur. Hęreticos ſummo odio proſequebatur. fuit ſanctæ Inquiſitionis officij conſultor iuſtiſsimus, quod ſuum eſt vnicuique tribuens, quod iuſtitiæ proprium eſſe munus neminem ignorare puto. Hebreos Chriſtum Dominum ex Maria Virgine natum negantes, dies nocteſq; (vt verum chriſtianũ decet) execrebatur. cultus illius, Fuit optimus, idemq; caſtiſsimus atque ſanctiſsimus, & ſanctitatis, religionis, atq; caſtitatis pleniſſimus. Itaq; homines illius ętatis nobiles honorem non generi, moribus, non maioribus ſuis, virtuti perſpectæ non auditæ nobilitati detulerunt. Sed præ cęteris illum eæ nobilitarunt virtutes, ac nomen illius toto terrarum orbe cum primis illuſtrarunt, ſummiſq; laudibus in cęlum extulerunt, fides in Deum; inter illum alienoſq;

ſingularis amicitia, in peregrinos, atque hoſpites in vrbe verſantes beneuolentia, in Sereniſſimum Principem obedientia. fuitq; eius labor honeſtus & induſtria. Quid de Cremonæ amicitia dicam quę ita præclarè fundatur ab eo in virtute, & honeſto, vt de nullo tam honoratè, tam honorificè, tam grauiter prædicetur, quàm de Cremonæ ſingulari amicitia: Cui non præponuntur diuitiæ, non valetudines, non potentiæ, non honores, non voluptates? Hoc enim extremum belluarum eſt, illa verò ſuperiora caduca, & incerta, & non tam in noſtris conſilijs, quàm in fortunæ temeritate poſita. Sed ſolam & veram amicitiam in virtute ponimus (ſine qua nulla ratione eſſe poteſt) quæ quidem ab oratorum principe, alijsq; viris doctis ſic definitur. Amicitia eſt rerum omnium diuinarum, & humanarum cum beniuolentia, & charitate ſumma conſenſio. Quid? Nonne partes huius definitionis omnes in Cremona locum habebant? Solus vnus illum abluit baptiſmus. Solus vnus à Cremona, & piè & ſanctè colitur Deus. Humana propterea negotia, Reſpublicas vnicè regebat, gubernabat, & adminiſtrabat. Cedat igitur Cremonæ amicitiæ Papus Æmilius, qui Caio Lucinio ita familiaris fuit, & amicus, vt vno eodemq; animo bis vnà conſules & collegæ in cenſura fuêre. Cedant Marcus Curius, & Titus Coruncanius, qui inter ſe ſic fuerunt coniuncti, vt illorum nemo quidpiam ab altero contenderit, quod contra fidem, contra iusiurandum, & contra Rempublicam eſſet. Cedant

dant Damon, & Pythias pithagorei, qui hoc animo inter ſe fuiſſe dicuntur, vt cum eorum alteri Dyoniſius Tyrannus diem necis deſtinauiſſet, & is qui morti addictus eſſet, paucos ſibi dies commendadorum ſuorum cauſa poſtulauiſſet, vas factus ſit alter eius ſiſtendi, vt ſi ille ad diẽ non reuertiſſet, ſibi ipſi moriendum eſſet. qui cum ad diem preſtò fuiſſet, eorum fidem Tyramnus miratus, vt ſe tertium in amicitiam aſcriberent petiuit. Hic *Cremonæ beneuolentiam mihi prætermittendam eſſe non cenſeo omnibus quidẽ in peregrinos, & hoſpites perſpectiſſimam quibus mirificè ita blandiebatur eius humanitas, vt eorum exinde animos ſibi facilè conciliaret. Quem enim peregrinum virtute potiſſimùm præditum in vrbe vnquam vidit, cui non ſponte occurrerit, & hoſpitio inuitauerit? Quid deinceps de ipſius erga Sereniſsimum Principem noſtrum obedientia, quam ipſe tantopere commendabat eſt mihi dicendũ? quæ meherule tanta eſt quantam in quouis homine me vidiſſe, aut legiſse non exiſtimo. Sed antequam longius progrediar, obſeruare debetis, nos non ſolùm à natura naturale quaddam habere, vt & magiſtratibus obtemperemus, & obediamus, ſed etiam, vt eos colamus, deligamus, & timeamus. Nemo quidem ſine peccato, & dolo eſt, qui pœnam ante oculos verſari non putet, cum magiſtratum ſedentem videt.* Huiuſ*modi namque timorem Deus, & natura nobis condonarunt, qui mox ſapientiſſimis philoſophorum ſententijs, Chriſtiq́s Ieſu noſtri ſeruatoris præceptis*

confirmatur, vt bonus qui imperauit, vt quæ magiſtratus magiſtratui eſſent, & quę imperatoris eſſent imperatori redderemus. Sed quorſum hæc pertinent? Quorſum? vt omnes intelligamus & cognoſcamus Cremonam non ſolùm natura, & præcepto, & ſumma beneuolentia, incredibiq́ue charitate Sereniſſimo Principi ſemper obtemperaſſe cuius editis, & decretis nedum non repugnabat, Sed illius laudes ad aſtra ferebat, Immo quotidie ſtudere videbatur, ei quomodo placeret, obediret, & bene ſeruire poſſet. Sileo Cremonæ honeſtiſſimos labores, quos in componendis quibuſdam conſiliorum voluminibus ipſe ſuſcepit, quæ quamprimùm per hominum manus (vt ſpero) volitabunt. Sileo eius muſas quas ipſe tantopere diligebat in tantoq; pretio habebat. Sileo quo pacto duce virtute, honeſtisq; laboribus, maiorem in dies conſequi honorem poſſet, eorumq́ue ignauam, torpidamq; naturam appellabat, qui totam ſpem in ſuorum maiorum gloria collocarent. Sapientes enim imitabatur, qui diuinarum humanarumq; rerum cognitionem habentes, illud preſertim nobilitatis genus eſſe decreuerunt, quod non tantùm generis antiquitate conſtaret, verùm etiam virtutis ornamento, probisq; moribus auctum & amplificatum eſſet. vnde auos, atq; atauos Terzanius non tantùm æquace, ſed gratia, fide, æquitate, fortitudine, prudentia, ſapientia, doctrina, dicendi facultate, reliquisq; virtutibus, ſuperare conatus eſt. Fortunam ſępe bonis acriter aduerſantem dirridebat. In rebus dubijs veritatem

ſaga-

ſagaciſſimè inueſtigabat, & amicis conſilia petentibus tanquam diuino ſpiritu afflatus reſpondebat, probos, & officioſos tuebatur, & muneribus afficiebat, nunquam perperam aliquid agebat. De Clementia, & benignitate quid dicam? Si vnquam pauperes occurrebant, non poterat non miſereri, ijs lubenti animo pecuniam largiebatur, & vitam hominum exiſtimabat, varijs caſibus, & ærumnijs expoſitam eſſe. O venerandum Cremonam ſummisq; laudibus ſemper afficiendum. Quis miſeros & calamitoſos adiuuit, & ſubleuauit? Cremona. Quis inimicos in ſe ipſum mala machinantes ad concordiam, & meliorem vitam hortatus eſt? Cremona? Quis Chriſti præcepta frequenter in memoriam reuocabat? Cremona. Quis ſi quid boni eueniebat Deo ſtatim tribuendum eſſe cenſebat? Cremona. Quis ſi quid aduerſi nullo terrore concutiebatur, præſentiq; animo cuncta mala perferebat, vt in vtraque fortuna Socratico more ſemper idem eſſet, & videretur? Cremona. Quis cibi, viniq; parciſſimus ſaltem vltra quinquageſimũ ætatis ſuę annum incolumitatem conſeruauit? Cremona? Quis ſomno mediocriter indulgens, ad multam noctem vigilare ſolitus erat? Cremona. Nemini inuidebat, nemini detrahebat, nunquam blanditijs animos hominum captabat. Nunquam futilia verba, nugasq; loquebatur. Sed quantùm honeſtas patiebatur, & vrbanitas requirebat. Hic ſalibus frequenter ſermonem Demoſthenis more condiebat, riſumq; prudentem & inter amicos liberalem excitabat.

bat. Quanta comitate, quanta cum omnibus facilitate, & manſuetudine ſit vſus, neminem veſtrùm ignorare non ſum neſcius. Ad hæc animi bona accedebat illa dicendi facultas, & vera pronunciandi ratio in qua ſæpe reconditos mores natura effingit, vt immanes etiam Scythas ad ſe amandum allicere potuiſſet. Nunc verò prò Deus Optime maxime, illum proſtratum, nihil ſentientem, nihil loquentem, turpi pallore deformatum videmus. Quem Sereniſsimus princeps, totaq; Ateſtinorum principum Alma domus vnicè diligebat, quem denique tanquam Apollinis oraculum omnes ſuſpiciebant, & admirabantur. Quid illa profuit nobilitas? Quid tot Cremonæ dignitatis gradus? Quid opulentia? Quid tot animi cęterorumq; bonorum ornamenta? Cum effera mors cuncta delere eſt conata, O' Mors effera, inquam, truculenta, & immanis quę nemini parcis, quę nullis precibus flecti potes, quæ tandem omnia euertis, nihil ſub cęlo eſt, quod tua vi tandem, non ſit delendum. Sed cum rerum humanarum conditionem conſidero, noſtræq; vitæ miſerias, quam tot caſus, calamitates, erumnæ, & ſexcenta morborum genera torquent, quamuis naturæ iuſſu me continere non poſſim, quin doleam, puto tamen meliora videns, dolorem comprimendum eſſe, & gemitum cohibendum, eumq; morte non expoſtulandum, quę bonum potius quàm malum nobis affert, quæ ex tanta rerum varietate, ex totque malis nos admouet, & ad ea loca vbi nihil formidatur traducit. Itaque

Orna-

Ornatißimi Ferrarienſes, qui tanti viri obitum doletis, uos iterum atque iterum vehementer hortor, vt huic mærori moderemini, iam penitus iudico nihil mali eueniſſe, quod hic Terzanius eruditißimus, & elegantiſſimus, è vita migrauit, & hæc humana quæ citò tranſeunt, ad cœlum euolans, non bello, non hoſtium inſidijs, non veneno, ſed annorum maturitate, ætatis fluxu, naturæ imperio nos reliquerit. Quamobrem, vt tandem finem dicendi faciam ornatißimi Auditores ſi animi virtus, ſi res geſtę, ſi iuſtitia, ſi æquitas, ſi religio, ſi modeſtia, ſi fides, ſi Caſtitas, ſi integritas compage corporis, animum, beatum, felicem, fauſtum, & fortunatum, efficere poſſunt, credendum eſt non ſolùm, Sed pro certo habendum, Ioannem Franciſcum Terzanium iuſtum, æquum, religioſum, fidum, officioſum, virtutum denique omnium peramantem in cœlum aſcendiſſe, æternæq́ beatitudinis participem eſſe. In Deo optimo maximo, igitur acquieſcamus, tantamq́ huic ſuauiſſimo viro felicitatem gratulemur, quam nulla temporum diuturnitas minuere poteſt. Dixi.

FINIS.